apperuit, nec tamen uidet. Sic mens nostra quae est oculus animae, nisi ueritatis lumine radietur, et ab illo qui inluminat nec inluminatur mirabiliter inlustretur, nec ad sapientiam nec ad iustitiam poterit peruenire. Iter enim nostrum iuste uiuere est. Quomodo autem non offendat in uia cui non lucet lumen? Ac per hoc in talia uia uidere opus est, in talia uia uidere magnum est. Nam tobias in faciae oculos clausos habebat, et filius patri manum dabat, pater filio uiam praecipiendo monstrabat. Responderunt ergo iudaei, tu de te testimonium dicis; testimonium tuum non est uerum. Videamus quod audiant. Audiamus et nos, sed non sicut illi; illi contemnentes, nos credentes; illi occidere xpm uolentes, nos per xpm uiuere cupientes. Inter ista distantia distinguant aures et mentes quae nostras. Quid audiant iudaei et quid audiamus nos. Respondit dominus. Respondit ihs et dixit eis. Et si ego de me testimonium perhibeo, uerum est testimonium meum, quia scio unde ueni et quo uado. Lumen et alia demonstrat, et se ipsum. Accendis lucernam uerbi gratia ut quaeras tunicam, et praestat tibi ardens lucerna ut inuenias tunicam. Numquid accendis lucernam ut uideas ardentem lucernam? Lucerna quippe ardens idonea est et alia quae tenebris operiebantur nudare, et se ipsam tuis oculis demonstrare. Sic et dominus xps inter fideles suos et inimicos iudaeos tamquam inter lucem et tenebras distinguebat, tamquam inter illos quos radio fidei perfundebat, et illos quorum clausos oculos circumfundebat. Tamquam et sol iste et uidentis faciem inlustrat et caeci; ambo pariter stantes et faciem ad solem habentes inlustrantur in carne, sed non ambo inluminantur. Uidet ille, ille non uidet. Ambobus sol praesens est, sed praesenti sole unus absens est. Sic et sapientia dei, uerbum dei, dominus ihs xps ubique praesens est, quia ubique est ueritas, ubique est sapientia. Intellegit quis in oriente iustitiam, intellegit alius in occidente iustitiam; numquid alia est iustitia quam ille intellegit, alia quam iste? Separati sunt cor[pore] et in uno habent acies mentium suarum. Quam uideo iustitiam [hic] constitutus, si iustitia est, ipsa uidet iustus, nescio quot[...] mansionibus a me carne seiunctus, et in illius iustitiae luce coniungitur. Ergo testimonium sibi perhibet

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_207/0085